TENTAMEN MEDICUM
DE NOSTALGIA,
GALLICE
MALADIE DU PAYS.

QUOD, Deo duce, & auspice Dei-Parâ, in Augustissimo Ludoviceo Medico Monspeliensi, tueri conabitur,

AUCTOR,

ALEXIUS MIQUEL, Rivo Petrosensis, Diœcesis Ruthenensis, apud Aquitanos, Liberalium Artium Magister, & jamdudùm Medicinæ Alumnus, die Januarii anno 1778.

PRO BACCALAUREATUS GRADU CONSEQUENDO.

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & innumeros non sinit esse sui.
OVIDIUS.

MONSPELLII,
Apud JOANNEM MARTEL NATU MAJOREM, Regis, Occitaniæ Comitiorum, Universitatisque Typographum Consuetum.

M. DCC. LXXVIII.

PATRI SUO DILECTISSIMO

NEC-NON

COLENDISSIMO,

HAS primas ſtudii Medici primitias in Amoris, & gratitudinis monumentum,

D. V. C.

Humillimus & Obſequentiſſimus Filius,

ALEXIUS MIQUEL.

TENTAMEN MEDICUM
DE NOSTALGIA,
GALLICE
MALADIE DU PAYS.

I.

NOSTALGIA, noſtromania, noſtraſſia, philopatridomania, pothopatridalgia, nihil aliud eſt ut vox ipſa grecè ſonat, quam immoderatum, intenſum, imò & anxium in patriam redeundi deſiderium, pro vario morbi ſtatu variis ſymptomatibus ſtipatum. Morbus iſte omni nationi & utrique ſexui communis.

II.

Docet tamen experientia morbum hunc adoleſcentes præſertìm in exteras regiones miſſos afficere, & inter illos eos imprimis qui domi vivere aſſueti, in publicum parùm prodierunt; quive mollius in parentum ſinu educatos & primâ vice peregrinantes materni lactis ut ità loquar, obliviſci neſcientes, dulci patriæ memoriâ unicè delectantur.

III.

Illis enim ſi peregrinæ gentis in quâ degant mores non arrideant; ſi ob nativi ſermonis differentiam à ſociis pro rudibus habitis illis ludibrio ſint; ſi invitè & repugnanter nativum deſerunt ſolum in quo diviter, delicatulè opimis & lautis veſcebantur dapibus, ſeu ubertim cibis boni ſucci nutriebantur, molliterque decumbebant; alienis moribus alienæ vivendi rationi vix aſſueſcere poſſint.

Si allatæ fortuito injuriæ vel quodcumque tandem ipſis tædioſum, injucundum, & moleſtum ſupervenerit; amicis & parentibus orbati triſtes fiunt, peregrinæ auræ tædio capiuntur: patriam animo volvunt in quâ deliciis quibuſvis & commodis quibuſcumque fruebantur; tunc mærore vehementi afficiuntur & infortunio ſuo vehementer perculſi in patriæ cogitatione defixi permanent; noctuque diuque in patriam reditum meditantur.

Hinc, anorexiâ, aſtheniâ, agripniâ divexantur.

IV.

Nec minùs Noſtalgiæ obnoxii ſunt plebei ac ruſtici, qui rura arant, campos fodiunt, agreſtibus & duris ſubjiciuntur laboribus, parce nec-non abjectis minuſque boni ſucci nutriuntur cibis, minimèque molle lectulum ſeu ſtratum eſt ſuper quod obdormiunt.

Attamen hi agricolæ plerùmque alimentis vilibus enutriti, durè dormientes, montes excelſos, rupes horridas, qui in civitatibus affatim opiparè aluntur, molliter & ſecurè ſomno indulgent; hi inquam velut Judei mannam faſtidientes divinam cœpas egyptiorum exoptantes viliora pretioſioribus anteponunt,

> .... Sed tamen optat
> Fumum de patriis poſſe videre focis.
>
> Ovidius.

monteſque inhoſpitales, rupes inacceſſas, deſertos pagos, limoſas palus, fumoſaque villarum culmina, deambulationibus, cœtibus deliciis prægrandium populoſarum, ſplendidarum civitatum amænitatibus præferunt.

V.

Militibus cùm à patriâ excesserunt frequens est hic morbus, & olim ob eam causam plurimi castra deserebant. Teste *Zvvingero*, helveti milites cantilenam quandam helvetiæ delicias revocantem pro consuetudine cantitabant. Sed sub capitis pœnâ deinceps repetere prohibitum est quia in hunc affectum canentes deducebat.

VI.

1°. In incipiente Nostalgia summa ad lares redeundi adest cupiditas, levis inappetentia, imminutus somnus, faciei pallor, morositas, taciturnitas, tristitiaque apparere incipiunt, & sæpè celant ægri harum mutationum causam.

2°. In formata ægrotans pallidus, tristis, morosus, necnon taciturnus solitudinem quærit cum membrorum lassitudine, & molestâ anxietate.

3°. Idiopathicè, morbus agreditur hominem benevalentem, deutheropathicè verò alteri morbo succedit, qui morbus tunc est velut causa ardentis illius desiderii, hinc dividitur Nostalgia, in simplicem & complicatam.

4°. Simulatam vocant perplures Celeb. Medici (*de Meyserey*, *maladie des armées*) etiam si non sit morbus. Qui enim hunc simulat, benè appetit, concolor est, pulsusque naturalis: licet morositatem, taciturnitatem, & solitudinem quærere se fingat.

VII.

Ex superiùs dictis facilè est hunc affectum dignoscere; nec minùs etiam facilè eum à cæteris quibusvis affectibus distinguere.

1°. Distinguitur ab affectione hypochondriacâ ex eo quod hypochondriaci magna mortis formidine tentantur, & perpetuò de propriis malis conqueruntur, Nostalgici verò nequaquam.

2°. A melancholiâ ex eo quod melancholici circà unum tantum aut alterum objectum delirent; isti verò quamvis uni tantùm objecto affixi sint, attamen cùm nullum judicium erroneum proferant circà illud; ideò jure asserimus illos

non delirare, nam & ſi melancholicus deliret dùm cogitat vel loquitur de objecto delirii, ſicut & Noſtalgicus de reditu ad ſuos focos, nihil tamen ridiculum vel abſurdum profert Noſtalgicus; ſed continuò de patriâ cogitans eam in colloquiis dulciter adducit, amanter de eâ loquitur eam ſummè extollit ne quidquam delirii fatus, ac ex ejus loquelâ ardens ipſius in patriam redeundi deſiderium manifeſtiſſimè declaratur; etiam ſi, ut ſuperiùs monuimus, ſe eo correptum morbo ſæpè deneget.

3°. Ex eo quod hunc affectum Noſtomaniam vocavere per plures cordati viri, nequaquam tamen cum maniâ iſtum morbum confundendum eſſe, ne exiſtimetis velim medicinæ patres illuſtriſſimi; in maniâ enim adſunt delirium, furor, & audacia, Noſtalgici è contrà delirii, furoris, & audaciæ expertes ſunt.

VIII.

In inveteratâ, & complicatâ Noſtalgiâ majus imminet periculum, minorque eſt curationis ſpes quam in incipiente ſimplici, quæ auxiliis moralibus, cœtibus jocoſis, hilari conſortio, cum amicis, ſociis, aut ſociabus, ludis, & aliis exercitiis quæ animum à continuâ circà idem objectum attentione amovent.

IX.

Quamvis in hocce affectu raro repetatur Medici auxilium cùm ſtatim ſeſe offerat remedium tutiſſimum, omnibus cognitum, in patriam ſcilicèt reditus; idcircò quid agendum ſit à Medico breviter exponere juvat.

Omni curâ mens hilaranda, nec-non corpus exagitandum equitationibus, ſed præcipuè peregrinationes inſtituendæ ſint ut objectorum diverſitate patriæ ideà ſi non deleri ſaltem debilitari quæat.

Interdùm dietâ tenui, levibus aperientibus, diluentibus, & demulcentibus utendum, nec etiam negligenda balnea ſunt.

Vinum, piperata, & ſalina omnia parca & ſupenſa manu concedenda.

Inter adhibenda pharmaceutica remedia in isto morbo; annotare valdè perutile erit quod etiam si inappetentia purgantium necessitatem deposcere videatur, ab iis tamen abstinendum est, nec nisi summâ cum cautelâ adhibenda, si adhibeantur.

Observatione constat per plures esse Nostalgicos, seù primarios, seù secondarios, qui post curatum febrilem morbum, taciturni facti supra faciem jacentes nihil omninò nisi amico respondebant, quasi soporosi prostrati, de reditu ad patriam unicè cogitantes manebant; verùm hos taciturnos & soporosos è somno exsuscitavit & loquaces reddidit Medicus ope emplastrorum vesicantium.

Et alii ad ultimum morbi gradum devecti nec-non circà agonem versantes ubi in rhedam translati fuêre, se minus malè sentierunt, & quo magis ad patriam accedebant, eâ proportione crescebant vires, augebatur salutis spes, hac tandem adventu in patriam rediit sanitas.

Dùm in complicatâ, sufficiens, imò redundans nummorum copia, deambulationes, cursus, peregrinationes, ludi, aliaque exercitia locum habere nullo modo valent propter confractas ægri vires, propter adjunctum morbum, vel tandem propter difficultatem, aut meram impossibilitatem in patriam redeundi; unicè supersunt ut sacra anchora, colloquia ægro arridentia, jocosa, hortationes, aliaque auxilia moralia.

FINIS.

DISPUTATURI.

N.N. D.D. PROFESSORES REGII,

N. D. JOANNES FRANCISCUS IMBERT, *Cancellarius & Judex.*

N. D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Cancellarius & Judex Adjunctus.*

N. D. FRANCISCUS DE LAMURE, *Decanus.*

N. D. CAROLUS LE ROY, *Pro-Decanus.*

N. D. GASPARDUS-JOANNES RENE'.

N. D. ANTONIUS GOUAN.

N. D. FRANCISCUS BROUSSONET.

N. D. FRANCISCUS VIGAROUS.

N. D. JOANNES SABATIER, N. D. LE ROY, *Coadjutor.*